Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2031

Quelle:
Copyright:



4. facile deſumas. At longe haec diverſa eſt a noſtro Tractatu, qui non in *Sermones* XII. aut potius Apologos dicas, ſed in Articulos multos dividitur, quos inter de Miſſa triſte faceti: *Come la Meſſa è heretica, è una gran' Maga, è una gran' Strega, è una grande Idolatra, è una gran' Meretrice* &c. Nemo porro ejus meminit, ne *Baylius* quidem, qui ceterum lancem, ut ſolet, ſaturam de *Ochino* admenſus eſt.

## DXXXI.

689 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 56. 4. eleganter ſcriptus, utque e Theca adparet, quae deaurata et anno MDLII. inſignita eſt, *Ferdinando* I. Imp. oblatus Titulum praefert: *Ad Sacratiſſimum Rom: Hung: et Bohemiæ Regem Ferdinandum &c. De extremorum temporum noſtrorum ſtatu. De Antichriſto, eiusdemque regno tyrannico et reuelatione, de fine Mundi et ſupremo iudicio. Liber.* Ita vero ingreditur: *Quod ueteres Romani in magnis reipub: periculis et rebus dubijs, Ferdinande rex optime, fecerunt, ut libros Sibyllinos, quorum quindecim interpretes delectos e ciuitate eſſe uoluerunt, conſulerent, Id temporib: biſce noſtris, in ſæuiſſimo furentis Germaniæ tumultu, imitandum nobis eſſe duxi, ut oracula ea adiremus, et ſi quid in eis uel conſilij uel ſolatij, ad præſentem uſum inuenire poſſemus, diligenter inquireremus, et inuentum ad Maieſtatem tuam perſcriberemus.* Laudatis mox prolixe Oraculis *Sibyllinis*, pollicitusque, ſe *Ferdinando* Antichriſtum de nomine indicaturum et ueluti digito demonſtraturum, disquiſitionem e S. Literis, Patribus, Scriptoribus profanis inſtituit, omnia praedictis Oraculis adcommodando, quorum verſione metrica utitur, non *Seb. Caſtalionis*, ſed quam ipſemet cudiſſe videtur. Atque primum in *Neronem*, eumque in *Mahomete* et *Turcis* redivivum commentatur, Hiſtoriam ſenſim ad *Caroli* V. et *Ferdinandi* deducens tempora, perſtringensque paſſim alios Principes Chriſtianos, quorum agendi ratio Turcis profuit, tum in *Paulum Jovium* acerbe invehitur, quod *plurima in uno duntaxat Elogiorum importune publicato uolumine mendaciter et improbe uulgauerit, Otomanicam Antichriſti familiam tantum non in coelum laudibus ferens.* Abuſum illum eſſe gratia et privilegio *Caroli* Caeſ. Injuriam feciſſe *Sigismundo Poloniae*, *Ludovico Hungariae* Regibus &c. Subdit: *Porro quod bonus iſte Epiſcopus tam ſcurriliter turciſat, Galliæ regibus iudicio meo ea in re ancillatur, ut fœditatem Turcici eorum fœderis impudentia et uanitate apertiſſima apud imperitos obuelet* &c. Deinceps ex hoc diverticulo ad *Antichriſtum* redux Numerum Beſtiae *Apocalypticae* 666. ductis e vi literarum graecarum calculis in nomine Imperatoris *Turcarum*